



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ
Deuotæ**

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

Hominem potius Macrocosmum quam microcosmum appellandum videri.
Colloq. LXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

*Hominem potius macrocosmum, quam
microcosmum appellandum videri.*

COLLOQVIUM LXIV.

PHIL.

PORRO dum tu hæc non minus
elegantè quam verè disputas,
scrupulum mihi quendam in-
iecisse videris, cum diceres veteres
illos iustius hominè macrocosmum
quam microcosmum appellare po-
tuisse: & effecisti tu reuerà iam nunc
illud vt fidem tibi arrogare, vel
contra antiquissimam Magistrorum
meorum opinionem non reformi-
dem, & si & ea fundamentis suis ni-
titur, ac plausibilibus rationum
monumentis confirmari stabiliri-
que mihi posse videatur. Plane ergo
velim istud vt nunc agas & quæ de
macrocosmo attulisti expromas: res
erit minimè à proposito nostro a-
liena, quippe quæ elegantissimè a-
nimæ & corporis pulcherrimam
proportionem declarabit, quam v-
nicè tu hæctenus velut scopum spe-
ctauisti obseruasti que. **T H E O L.** An
ergo illud vis vt quemadmodum in
tabellâ pictores immania vastissi-
ma-

maque corpora, ita ego tibi breui & conciso orationis genere hominis venustate depingam, macrocosmum eum esse astruendo? PHIL. Acu rem tangis; & quia nihil mihi antiquius est quam te audire, tu quoque fac nihil vt tibi potius fuisse videatur quam meo desiderio satisfacere, & animum pulcherrima isthac doctrina informare. THEOL. Annitar sane, & quantum voce viribusque poterō, contendam ea vt ex me intelligas, quibus cupiditas tua expleatur, & ardentissima fitis restinguatur; etsi veteres illi qui à Philosophia vestra fuerunt veniam obsecrandi mihi primum sunt, qui non minus verè quam concinnè hominem microcosmum appellauerunt, quippe qui quoddam quasi compendium partium sit in vniuersi huius corpore contentarum. at noster ille Theologus Gregorius Nazianzenus haud aliquanto verius & speciosius macrocosmum eum appellauit, propter insignes illas perfectiones, in quibus reuera, si quæ est, magnitudo vera & exaggerata elucescit. Quâuis

*Orat. 2.
de Pa-
sch.*

uis superiores isti facile omnino
veniam impetrare possint, quip-
pe qui respectu exiguæ molis ac
quantitatis humanæ, quæ infini-
tis spatijs vniuerso isto minor est,
hominem sibi microcosmum puta-
uerint appellandum: cui tamen &
illud addo, non modo corporis
pulcritudinem, sed & animæ ve-
nustatem considerare eos debuisse,
quo ita præclarè factò omnino in
eam sententiam abiuiſſent, eum vt
sibi macrocosmum appellandum
censuissent. Et quemadmodum ne-
minem plane inter eos reperire
possis, illud qui inficiari ausit, in-
finitis spatijs Deum mundo maio-
rem, & iuxta etiam quantitatis om-
nis expertem esse, eamque demum
perfectionem non corpoream sed
spiritualem esse, à qua nomen Mag-
ni mutuetur: illud iam opinor et-
iam constabit, hominem qui solus
perfectissima & speciosissima huius
vniuersi pars est, & inter omnes
creaturas corporeas vnus ipse im-
aginem Dei in anima circumfert (qui
vera magnitudo, pulcritudo, ac per-
fectio

fectio est) & corpore animæ effigiem habet impressam, macroscopius quam microcosmum videri esse appellandum; idque non tantum animæ, sed ipsius etiam corporis ratione spectata. Iam si illud etiam verum est, id maius censendum esse & vocitandum, quod aliud in se continet atque concludit, quis dubitabit homini macrocosmi nomen exactissimè conuenire, qui anima & corpore mundum hunc vniuersum, omnes illius perfectiones, & modo denique illas excellenti admodum cõplectitur & via singulari? Et primū quod ad animā attinet: quatuor admodū rerū species sunt, ex quibus omnia plane visibilis huius mundi ac familiæ vniuersalis cõflata coagmentataque esse videntur: nam & istiusmodi aliqua sunt vt Esse sine vlla anima habeant, qualia nos cælos, elementa, lapides, metalla & similia dicere solemus; alia verò anima prædita sunt & sensu contra destituuntur, vt arbores, herbæ, plantæ & cætera vniuersa, quæ quia vegeta esse constat, ideo animata consueue-

sueuerunt nuncupari: iam nonnulla quoque sunt quæ nequaquam sensu carent, ratione verò deficiuntur, quemadmodum pisces, aues & quicquid reliquarum animantium terrenarum inuenitur: accedit isti homo qui similitudine ad Angelos accedens, & imagine Dei exornatus, tres illas priores species in se comprehendit, quippe qui ita sentit, pariter vt crescat sentiatque, neque eo modo quo illæ sed peculiari plane modo & ratione nescio quomodo reliquis excellentiore: nam & Esse longè quam lapides præstantius consecutus est, & ita animæ vegetatiuæ ac sensitiuæ particeps, nulla vt in anima melius collocatæ videantur: sicut ergo imago quæpiam adamantini insculpta longè nobilior ea dicitur quæ vel orichalco incisa est, ita etiam duæ istæ potentie sensitiuæ ac vegetatiuæ tanto nobiliores sunt, quanto in præstantiori subiecto reperiuntur. Vnde præclare intelligimus hominem omnibus creaturis absolutiorem esse, & ideo vniuersis maiorem existimandum, quia modo
singul-

singulari & diuino perfectiones natus est haud aliquanto excellentiores. Quemadmodum ergo etiam Regis Frater Dominus peculiari prerogatiua appellatur, quippe qui velut omnium inferiorum Dominorum nobilitatem exhauriat & complectatur, quorum tituli à Baronatu aut Comitatu aliquo vel illustri denique quopiam dignitatis gradu petuntur, cum contra Fratri Regio generale illud nomen Domini velut illustrior & coronæ sceptroque proximiori deferatur: ita homo per excellentiam quandam solo Creaturæ nomine videri potest fuisse nuncupandus: est enim ille reapse nobilissima Creaturarum, & sicut ex Diuo Augustino ostendimus inter omnes creaturas mortales Regi suo quam maximè coniuncta. Idcirco quoque Dominus noster cum Apostolos suos concionatum mitteret, ait. *Exite in vniuersum mundum, & prædicate Euangelium omni Creatura.* Super quo loco sanctus Gregorius, inquit, omni Creaturæ prædicare, homini

*Homo
appellatus
Creatura.*

*Matth.
25. 9.*

*S. Greg.
hom. 29.*

T præ-

prædicare est, qui quodammodo
omnis creatura appellatur, quia in
se continet habetque vniuersa, que
creaturis singulis singula fuerunt
impertita. Maneat ergo nunc non
micro sed macrocosmum hominem
videri esse appellandum, quippe
cum vniuersas mundi partes ipse
complectatur.

*Secunda causa, cur homo macrocos-
mus videatur appellandus.*

COLLOQUIVM LXV.

PHIL.

NVNC quoniam admodum
illud tibi placere intelligo,
vt ex re tua familiari meam
ego faciam ac locupletem, adducor
fane non grauatè, vt nostrum hunc
quem architectamur mundum, ex
Aristotele argumento petito au-
geam exaggeremque: ait namque
ille intellectum hominis certo
quodam modo omne esse, quippe
qui forma formarum sit, quemad-
modum manus omne etiam ali-
quod ens, cum instrumentum in-
strumentarium vulgo audiat & ap-
pel-

*Arist. 3.
de anim.
6. 7.*